

portabit à Domino tum *benedictionem*, tum *justitiam* & *salutem*: *vers. 5.* ubi annectitur brevis quasi recapitulatio dictorum cum encomiò: *en hæcce querentium Deum* (subditorum) *generatio* seu *indoles*; hujusmodi *querentes vultum Domini* merentur *Jacobi* titulum: *vers. 6.*

III. Compellatio horummet subditorum

### PSALMUS XXIV.

**K**imchi, *Aben Esra*, veteresque Ebraei DD. dicente *Aben Esra*, censent hunc Psalmum à Davide conscriptum fuisse post revelatum ipsi locum templi, *1. Par. XXII, 1.* quod tanquam conjecturam non adeò ineptam suò locò relinquimus, accedentes tamen iis, qui Davidem censent in spiritu hîc cecinisse Dei sui dominium tum in universum orbem, tum præcipuè in ecclesiam, ad quam ipsemet in carne venturus erat suo tempore. Quod ad LXX. adscriptum est, *primâ sabbathi*, manasse videtur ex more vel Synagogæ, vel ecclesiæ, quæ psalmum hunc, resurrectioni dominicæ accommodum, die etiam dominicâ palàm decantare consuevit.

#### EXPLICATIO VERSUS I.

**יהוה** Domini (est) terra: h. e. quanquam pro diversitate regionum ac provinciarum varii passim deprehenduntur domini, (*1. Cor. VIII, 5.*) unicus tamen verus supremus dominator omnium est Jehova. Sicuti universus terrarum orbis à Deo solò est creatus, ita adhuc hodiè eundem ipse solus jure domini possidet, conservat, gubernat. (**י**) Notat hoc loco possessionem, *p. 150. n. 5.* Allegatur *1. Cor. X, 28.* ad libertatem Christianam illinc probandam.

**וּמלאה** plenitudo ejus: h. e. quicquid vel intra vel supra terræ globum continetur, quicquid eandem replet, sive sint res inanimatæ, ut metalla, mineralia, lapides, gemmæ, fontes, rivi, flumina, lacus, &c. sive animatæ, ut vegetabilia, (arbores, plantæ, &c.) sensitiva, tam repentina, quam incedentia, volantia, itemque rationales homines, cujuscunque ordinis, ætatis, sèxûs, eorumque facultates universæ. **מלא** plenitudo, est nomen formæ **מלא**, significans id, quod capacitatem aliquam replet, v. g. pugillum, *Cob. IV, 6.* civitatem, *Amos. VI, 8.*

**תבר** orbis, scil. est Domini: id enim prædicatum ex præcedentibus est repetendum. Est autem **תבר** (cum gemino **תבר**,) propriè orbis habitabilis, *οἰκουμένη* græcis dicta, ubi sunt fontes, terræ nascentia, pecora, homines: sicut & hîc locò mox sequitur de ejus incolis. Quapropter juxta *Kimchium* aliosque, à præcedenti **ארת** terra, differt tanquam totum & pars: quanquam R. Salomo per **ארת** Palæstinam, per **תבר** reliquas regiones intelligi malit: vide tamen *Psalm. L, 12.*

**ישבי** incole in eâ: Participium ponitur in regimine, quia scilicet substantivi naturam induit, sequensque pronomen **יהוה** habet rationem alterius substantivi, ceu *Psalm. V, 12.* **רוסי בו** sperantes in eum. Ex hac Dei in homines potestate malè inferunt *Sociniani*, Deum etiam hisce suis creaturis atque subditis condonare

ad venerationem debitam: ubi (1) *portæ* & *ostia seculi seu mundi*, *vers. 7. 9.* (2) portarum debitum: *attollere capita, elevari*; *ibid.* (3) motivum: *ingressus regis gloriosi*, *vers. 7. 9.* qui ipse Rex est (a) *Jehova* *vers. 8.* (b) *invictus* vel *omnipotens*, (c) *bellator*: *ibid.* (d) *dominus exercituum*, *vers. 10.*

posse peccata citra satisfactionem; cum tamen hîc modò propriam violaret justitiam ac veritatem, si minæ contra peccatores fuissent vanæ, vide *Hakspan. h. l.*

#### EXPLICATIO VERSUS II.

**על ימים** juxta maria fundavit eam: h. e. fecit eandem immobilem, licet & hîc & illic maximâ aquæ marinæ confluxu, quæ semper inquieta est, alluatur. Latet hîc insignis Dei sapientia ac majestas, qui ex tam diversis corporibus contiguis unum fecit globum, ita ut aquæ, quæ terræ corpus undique ambire debuissent, veluti aër aquas, cesserint tamen terræ passim supereminenti, unumque ambo constituerint, rotundum globum, (*Psalm. CIV, 6.*) ut aquæ suos non transgrediantur limites, (*Job. xxxviii, 8. seq.*) & terra, infimum aliàs occupans locum, juxta mare tamen emineat, *Gen. I, 9.* Sic **על** per juxta exponendum est in proximis statim verbis; **על נה** juxta fluvios; non enim super, sed juxta fluvios fundata est terra, ita, ut iisdem non superincumbat, sed ad illos sit contigua. Vide *Psalm. CII, 26.* *Gen. I, 9.* *Job. XXVI, 7.* *Psalm. CXXXVI, 6.* *Jer. V, 22.* Sic **על** sumitur *Psalm. I, 3.* hinc & Luther. h. l. an die Meere &c. melius quam Mogunt. auff das Meer. & Campen. *supra maria firmissimè stabilitam extare fecit eam.* De antipodibus, de terrâ, num aquis supernatet, & de unius præ altero eminentia, vide *fis Amam. antibar, p. 752.* & *Six. Senen. I, 5. ann. 13.*

**יסודיה** fundavit eam: traditur hîc terræ constantia & immobilitas, dum instar ædium, bono præditarum fundamento, non subsidit, aut corrui.

**יבוננה** firmavit eam: ne scilicet tam grandibus, diuturnis ac continuis aquarum alluvionibus terra vel corrumpatur, vel fluviales aquæ subsidant, aut à terrâ absorbeantur, sed ut perpetui regionibus sic permaneant limites, quomodo v. g. Misnia discriminatur Albi, Plisna, Elistro; &c. De verbo **בונן** aptavit, disposuit, stabilivit, vide *Pf. VIII, 4.* *VII, 10. 13.* *IX, 8.* *XI, 2.* *XXI, 13.*

#### EXPLICATIO VERSUS III.

**מי יעלה** quis ascendet: h. e. quisnam aut qualis erit verus Dei cultor, dignè in locò sacro ad placitum tanti Domini comparens. Cohærent enim hi versus cum præcedentibus ita, ut *vers. 1.* & *2.* tradatur descriptio Domini; *versu* autem *3. 4. 5. 6.* descriptio subditorum; quare se invicem respiciunt tanquam relatum & correlatum. *Muis* connectit: etsi Domini est torus orbis, non tamen omnes eum accedent, &c. sic *Exod. XIX, 5.* eritis mihi peculium, quamvis **כל הארץ לי** mea sit omnis terra; sic *Deut. X, 14.* Adeoque à terræ corpore digre-